



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola X. Gregorii Papae I. Ad Evmdevm. Vt voluntatem Stephani
defuncti de monasterio construendo faciat adimplere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

sterio autem quod in domo sua construendum quondam Petrus asseritur præcepisse, præuidimus, vt fraternitas tua subtiliter requirat relictorum illic reddituum quantitatem. Et si quidem modus habetur substantia, recollectis omnibus quæ de rebus ipsis imminuta dicuntur esse, vel dispersa, cum omni studio hoc & sine aliqua dilatione fundetur. Sin autem vel minus idonea vel damnosa facultas est, omnibus, vt edictum est, subtiliter inquisitis, nobis renuntiare te volumus, vt sciamus quid deliberare, iuuante Domino, de eius constructione possimus. Fraternitas igitur tua ita in cunctis prædictis capitulis se solerter impendat, vt nec nostræ admonitionis seriem inueniatur fuisse transgressa, nec diuini rea iudicii, de minori zelo pastoralis existat officii.

EPISTOLA X.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVM DEM.

Vt voluntatem Stephani defuncti de monasterio
construendo faciat adimplere.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.

Nos quidem arbitramur, quod ad imminentiam exceptionis piarum rerum, ipse te tuus satis ordo compellat. Sed ne zelum tuum cuiuslibet interuentus remissionis emolliat, de his etiam te specialiter iudicauimus exhortandum. Peruenit siquidem ad nos Stephanum vestrum de hac luce migrantem, supremæ voluntatis eloquio monasterium præcepisse fundari. Cuius desiderium a Theodosia honesta femina herede eius fertur quod haec tenus dilatione protrahitur. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, vt maximum de prædicta causa studium geras, atque ante nominatam feminam commoneas, quatenus intra annale spatum monasterium quod iussum est debeat ordinare, & cuncta secundum defuncti voluntatem sine alteratione construere. Quod si intra prædicti temporis metam aliqua perficere negligentia vel calliditate distulerit, vt siue in loco eo, quo constitutum fuerat, seu certe ibi non poterit, & alibi placet ordinari, & dilatione interueniente negligitur; tunc volumus vt fraternitatis tuae ædificetur

Concil. Tom. 13.

Yy

studio, ordinatisque omnibus, res atque redditus qui relictis sunt, per te loco ipsi venerabili sine imminutione aliqua socientur. Sic enim & ante tremendum iudicem tuum sententiam remissionis effugies, & secundum piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates episcopali supplebis studio.

EPISTOLA XI.

GREGORII PAPÆ I.

AD MAXIMIANVM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

De redditibus ecclesiarum: & nullum clericorum in monasteriis abbatem esse debere. Iuuenculas fieri abbatissas vehementissime prohibet. Nullam virginem nisi sexagenariam velandam.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

OLIM quidem fraternitati tuae nostra fuerat auctoritate commissum, ut si quæ in Sicilia exciderent ecclesiæ, ceterisque venerabilibus locis, vel incongrue gererentur, nostra vice corrigeres. Sed quia post hæc de quibusdam neglectis haec tenus capitulois ad nos querela peruenit, rursus ad eorum correptionem tuam fraternitatem specialiter præuidimus excitandam. Cognouiimus namque de redditibus ecclesiarum nouiter acquisitis, canonicam dispositionem quartarum minime prouenire, sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum reddituum, nunc vero quæsita suis visibus retinere. Quam rem prauam subintroductamque consuetudinem fraternalis tua viuaciter emendare festinet, ut siue de præteritis redditibus, siue de iis quæ nunc obuenerunt, vel obuenerint, quartæ secundum distributionem canoncam dispensentur. Incongruum namque est vnam eamdemque ecclesiæ substantiam duplii quodammodo iure censeri, id est usurpationis, & Canonum Presbyteros, diaconos, ceterosque cuiuslibet ordinis clericos, qui in ecclesiis quoquomodo militant, abbates per monasteria esse non permittas, sed aut admissa clericatus militia, monasticis non prouehantur ordinibus: aut si in abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si

Grat. 12. q.
2. cap. 19.
Anf. lib. 5.
cap. 70.
Ioan. diac.
lib. 4. c. 34.

Grat. 16. q.
1. cap. 38.
Ioan. diac.
lib. 2. c. 54.